

Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Gálatas

2, 16. 19-21

Fratres:

¹⁶ **S**ciéntes quod non iustificátur homo
ex opéribus legis, nisi per fidem Iesu Christi,
et nos in Christum Iesum credídimus,
ut iustificémur ex fide Christi
et non ex opéribus legis,
quóniam ex opéribus legis
non iustificábitur omnis caro.

[17-18]

¹⁹ Ego enim per legem
legi mórtuus sum, ut Deo vivam.
Christo confíxus sum cruci;
²⁰ vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus;
quod autem nunc vivo in carne,
in fide vivo Fílii Dei,
qui diléxit me et trádedit seípsum pro me.
²¹ Non írritam fácio grátiam Dei;
si enim per legem iustítia,
ergo Christus gratis mórtuus est.

Verbum Dómini.